

consiliariorum et sanioris partis generalis consilii ciuitatis Spaleti coadunati in pallatio comunis ad infrascripta potissime, fuit confessus et contentus pro ser Madio Miche ciue Spaleti, dante et soluente comuni Spaleti pro se et suis heredibus in una manu VII^oLXXX libras paruorum pro quibus anno elapso M^oIII^oLX^o indictione XIII emit molendina Salone a comune.... in altera manu quingentos et quinquaginta ducatos in monetis pro quibus anno proxime elapso ipse ser Madius emit dacia douane, gabelle et piscarie comunis, de quibus uero quantitibus pecunie et ducatorum dictus ser Theodosius, syndicus et syndicario nomine quo supra, cum uoluntate dictorum dominorum iudicum, consiliariorum suorum et generalis consilii predicti, dicto ser Madio, stipulanti et recipienti pro se et suis heredibus fecit finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius non petendo, promictens ipsum ser Madium occaxionibus predictis de cetero non molestare, petere uel inquietari, set pocius ipsam quietationem perpetuo habere ractam et firmam, sub obligatione omnium bonorum presentium et fucturorum dicti comunis Spaletensis et refectione etc. Actum Spaleti in pallatio comunis, presentibus ser Sricha Luchari et ser Perue Johannis, testibus, et Dionisio Helie consiliario et examinatore.

Dictis die, loco, testibus et examinatore. Dictus ser Theodosius, syndicus et syndicario nomine comunis Spaleti, cum uoluntate et consensu supradictorum dominorum iudicum, eorum consiliariorum et sanioris partis generalis consilii ciuitatis Spaleti coadunati potissime in pallatio comunis ad infrascripta, fuit confessus et contentus uidisse, calculasse et recipisse diligenter rationem a Marino Vannis et Francischo Bualdi, olim camerariis comunis Spaleti, de omnibus quantitibus pecunie, ducatis et aliis quibusuis introitibus generaliter peruentis ad manus predictorum, tempore dicti eorum offitii camerarie, de quibus uero quantitibus pecunie et ducatis et aliis introitibus prefatis peruentis ad ipsorum manus, ut prefertur, dictus ser Theodosius, syndicus et syndicario nomine quo supra comunis Spaleti, cum uoluntate iudicum et consiliariorum et dicti consilii, dictis Marino et Francischo stipulantibus et recipientibus pro se et suis heredibus, fecit finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius non petendo, promictens ipsos ocaxione prefacta de cetero non molestare, petere, uel inquietari, set pocius ipsam quietationem perpetuo habere ractam et firmam, sub obligatione omnium bonorum presentium et fucturorum dicti comunis Spaleti et refectione etc.